



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

4 Dispensatio super affinitatem non extenditur ad publicam honestatem concurrentem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

mit, ex Pal. in 4. d. 34. q. 1. co. 3. & S. Anto. 3. p. ti. 1. cap. 1. §. 5. 4. & Nau. in Man. cap. 22. num. 75. Potest autem à tali inces-
tu clam à summo Pœnitentiario, vel etiam à proprio con-
trahentiam episcopo dispensatio impetrari: cap. si duo. 3. q. 6. Immo & matrimonio sic contracto, sine vlla dispensa-
tione, cum pœnitentiâ peccati inactus, & peccati in matri-
monio contra impedimentum inactus contrahendo com-
missis, frui possunt. Quæ etiam de causa, gratia ducendi
uxorem facta Diacono occultè, & male ordinatio non vitia-
tur, ex eo quod tacetur (præsertim absque dolo) quod sit af-
finis, nec gratia postea impetrata super affinitate, non facta
mentionem de dispensatione super ordine vitatur, eo quod
res separate sunt, nec vna alteram auget, nec vllò iure cauetur,
vt alterius mentio in alterius dispensatione obtinenda
fiat.

DECISIO II.

Ex cons. 3. alias 6. & dubium secundum est cons.

4. de raptor. in Nouis. I I

2 **Q**uamuis impedimentum, quod propter affinitatem ex
fornicatione contractam inducitur, matrimonium con-
trahendum impedit, & dirimat, & ad eos tantum qui in
primo, vel secundo gradu coniunguntur, referuntur. Nul-
la tamen affinitas matrimonio iam contracto superueniens
illud dirimit, aut impedit, sed solum partem culpabilem ab
exigendo debito sine dispensatione impedit. cap. Transmis-
sa, & c. tuæ de eo qui cogno. consang. vxo. suæ. Sicut affini-
tas ex illicito coitu in tertio, & quarto gradu contracta, &
præueniens, nec matrimonium contrahendum impedit, vt
per Pium V. extra. Ad Romanum. ed. 1. §. 68. constit. 62. &
Na. in Man. cap. 22. num. 43. nec dirimit contractum; ex
Concil. Trid. sess. 24. cap. 4. de ref. matr. ita neque affinitas su-
perueniens Matrimonio contracto in iisdem gradibus ex-
actionem debiti impedit; eo quod lex per similitudinem ra-
tionis de vno ad aliud extenditur; cap. Dudum. 2. de elec. &
quia minus est exigere, quam contrahere, vt proinde qui con-
trahentem matrimonij concedit à fortiori exactionem debiti
concedere censetur. Arg. cap. cui licet quod plus. de reg.
iu. in 6.

DECISIO III.

3 **Q**uemadmodum Matrimonium inter raptorem, & ra-
ptam non valet, quamdiu ipsa in potestate raptoris
manerit; vt habetur ex Concl. Tri. sess. 1. cap. cum lo-
cum. eo quod consensus raptæ præstitus in domo raptoris,
vel extra eam, donec in loco tuto ponatur ad matrimonium
contrahendum, quod plenam libertatem requirit, satis liber
non iudicatur: ita etiam & sponsalia inter raptorem & ra-
ptam non valent, quamdiu ipsa in domo & potestate rap-
toris manet, & plenam assequitur libertatem; quia sponsalia
etiam plenam libertatem requirunt, vnde defectus liberi
consensus non minus sponsalia, quam matrimonium impe-
dit, quamuis Tridentinum nihil de hac re dixerit; maxime
cum in vtroque casu non solum similis, sed eadem planè ra-
tio sit; & ius limitans aliquid, ex rationis similitudine ad
casum similem extenditur. cap. cum dilectus. de confir. vtil.
gl. in cap. 1. verb. Italia. de temp. ord. in 6.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. alias 7.

4 **D**ispensatio super affinitate, cum qua publicæ honesta-
tis impedimentum etiam est annexum, in cuius impe-
tratione facta non est mentio expressa, vel tacita de vinculo
publicæ honestatis, etsi quoad affinitatis sublationem vali-
da sit, quoad tamen sublationem publicæ honestatis non va-
let; ex Pan. in cap. non debet de consang. & Na. in Man. cap.
22. num. 86. sin vero in illa impetranda tacite saltem de im-
pedimento publicæ honestatis mentio facta fuerit, vtrum-
que sublatum esse censetur. glo. 3. in d. c. non debet.

DECISIO V.

Ex cons. 6. alias 13.

5 **Q**uamuis Concilium Tridentinum sess. 24. ca. 5. de ref.
matr. super cognatione in secundo gradu nunquam

dispensari velit, nisi inter magnos Principes, & ob causam
publicam; Aliæ tamen quatuor causæ sunt, quæ faciunt, vt
in dicto Cognationis gradu Papa iuste dispensare possit ex
Concil. Trid. sess. 25. cap. 18. de refor. vna est ignorantia ti-
goris prohibitionis, iuxta illud 1. ad Timoth. 1. Miser cordiã
consecutus sum, quia ignorans feci. Altera est proles iam ha-
bita. c. si 35. q. 8. Tertia est, diuturnitas Matrimonij iam male
contracti. d. c. fin. 35. q. 8. Quarta, scandalum inde orun-
dum, mox puella, aut cognatorum. Arg. c. qui circa. de con-
san.

DECISIO VI.

Ex cons. 7. alias 3. qui filij sine legit.

6 **E**piscopus si accepta commissione à Papa ad dispensan-
dum cum impeditis tertio gradu consanguinitatis, facta,
vel non facta in formatione, dispensauit, licet non satis ordi-
ne iuris seruato filij ex illis nati censentur legitimi; quia bo-
na fide credebant dispensationem legitime factam fuisse, ut
tamque sic credendi causam habent, quod ad prolem legiti-
mandam sufficit; Arg. c. ex tenore, & ibi Glo. qui filij sine legi-
git. Sin vero Episcopus Commissarius nullam accepit infor-
mationem, nec de tacto dispensauit, illorum filij legitimi cõ-
fendi non erunt; quia bonam fidem non habebant, & sci-
ebant, vel scire debebant inter ipsos esse impedimentum.

DECISIO VII.

Ex cons. 8. alias 4.

7 **C**um affinitas ex approbata Theologorum, & Canonista-
rum sententia proximitas quædam sit personarum ex
copula carnali promouens, omni parentela caris ex S. Tho.
4. d. 4. q. 1. art. 1. q. 3. & Glo. in verb. affinitatis. Adeo necessa-
ria est copula carnalis licita, vel illicita ad impedimentum
affinitatis contrahendum, ex c. discretionem. de eo qui co-
gno. cons. vxo. suæ. (quod etiam vsque ad quartum gradum
inclusiue extenditur) quod quantumcumque aliquis claustra
pudoris inuadat, vel frangat, nisi etiam commissio seminum
sequatur, nulla exinde affinitas proprie dicta contrahitur; vn-
de nec copula contra naturam, nec pollutio extraordinaria
generat affinitatem c. extraordinaria 25. q. 2. & 3. & S. Tho.
in addit. 3. par. q. 35. art. 3. ad tertium.

DECISIO VIII.

8 **C**oncilij Tridentini decretum sess. 24. cap. 5. de ref. ma-
trim. quo dispensatio coniunctis secundo consanguini-
tatis, & affinitatis gradu caris prohibetur, impedi-
mentum publicæ honestatis primo gradu non comprehendit;
eo quod lex, præsertim prohibitoria, ad casum, in quo
tantia prohibendi ratio non inest, extendi non debet; Arg. c.
de pœnæ. de penit. d. 1. præterquam quod impedimentum
publicæ honestatis ab impedimento affinitatis multum di-
stet, quoniam hoc affinitatis impedimentum, saltem ad ali-
quas personas, & gradus etiam iure Diuino scripto veteris
testamenti inductum fuit; vt patet Levit. c. 18. impedimen-
tum vero publicæ honestatis nullo iure veteri, sed iure tan-
tum positum post Christum, introductum est; vnde nec tan-
ta inibendi ratio in impedimento publicæ honestatis, ac in
altero affinitatis reperitur.

DECISIO IX.

Ex cons. 9. alias 1.

9 **Q**ui Matrimonium cum aliqua, quam frater ipsius ada-
mauit, contrahere vult, & dubius est, an eam frater
eius secreto cognouerit, iuste & tuto conscientia cum
illa contrahere nequit, nisi aut credat fratrem suum eam non
cognouisse, vel nisi dispensationem obtineat: quia affinitas
ex carnali coitu etiam illicito nascitur; c. discretionem. de eo
qui cogno. cons. vxo. suæ siue coitus publicus sit, aut secretus;
c. concubuit. 3. q. 6. & matrimonium nemo iuste contra-
hit, nisi certo credat non adesse impedimentum.

DECISIO X.

Ex cons. 1. in Nouis, deest in antiquis.

10 **M**atrimonium contrahendum ad dictum vnus te-
stis asserens se ab vno alio audiuisse eos esse con-
san-